

sis h. l. sit tritici, an hordei, nobis hæc magis placet quam illa, merito enim dubitatur, vocem Ebræam קציר semper triticeam significare, licet Serarius illud affirmet. Chaldaus sane, qui מֶסֶם messem vertit, eam non ad triticeam restringit, sed si eam intelligat חֲטִי tritici addit Psalm. 129, 7. LXX. quidem ὡσεὶ ἡμέρας θερισμῶν πυρῶν sicuti dies messis tritici, sed πυρῶν in codice Grabii obelo est notatum, uti annotaverat Masius ad h. l. Sic neque קציר a קצר metere, triticeam messem solum denotat, sed modo de hac, modo de alia dici potest. Primam tamen messem hoc loco intelligendam esse, vel ex aquarum exundatione colligitur, quæ 1 Paral. xii, 15. בַּחֶרֶשׁ הַרְאֵשׁוֹן in mense primo h. e. in Nisan, in quem prior messis incidit, fieri dicitur, idem enim mensis Ex. xiii, 4. חֶרֶשׁ הַאֲבִיב mensis spicæ maturescens appellatur, uti observavit Masius ad h. l. Hæc, quam de Jordanis exundatione annotavimus, circumstantia egregie sacerdotum, qui primicum arca in fluvium rapidum & plenum ingredi tentarunt, fidem in DEO collocatam amplificat, hi enim sola Dei promissione nixi, abjecta omni animi humani fluctuatione, fluvium super ripas exundantem ingrediuntur, licet non ab ipso DEO, sed ab Imperatore tantum Josua, de divino auxilio miraculoso certiores essent redditi.

§. IV.

Sacerdotes divina promissione & auxilio freti Josuæ dicto audiunt, & in conspectu omnium Israelitarum arcam apprehendentes eam ad Jordanis littus portant. Hi, qui alia a portationis munere immunes essent, jam a Josua Israelitarum Principe eandem portare jubentur. Torquent sese Pontificii causam reddere nescientes, cur Josua princeps politicus verl. 6. Sacerdotibus imperaverit, ut arcam portarent, principis enim, inquit Serar. *Quest. XI. p. 341.* erat parere Sacerdotibus & præsertim maximo, non imperare. Tandem distinguunt inter res sacras & politicas, quibus & hoc miraculum, sed frustra annumerant. Sed respondet Masius ad h. l. quod ad præsens Josuæ in Sacerdotes imperium attinet, aperta res est, non tam Josuæ id esse quam ipsius DEI, cujus diserta jussa ille, ut verl. 8. patefaciet, exequitur. Et post pauca, si sacerdotes vel sacris legibus vel usu sancitum approbatumque colendi DEI ritum & sacra aut negligenter aut non rite conficiant, aut etiam violent,